



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 16. Petrus Romerus Divæ Barbaræ oppidi fundamenta jacit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

nuerant. Sed jam pace domi utcumque sanctitatem, & aucto Sociorum numero, summo per desiderabant trans Paraquarium facem Evangelicam inferre: multorum enim relatu cognoverant, eam terram, quae inter Itatinos & Peruviam, ingenti centum & quinquaginta leucarum traectu in longum variâ latitudine extenditur, frequentissimam esse Barbarorum pagis, nondum Christianam legem professis: sperabantque, plura oppida in ea Americae parte fundari posse, si se eò Societas intromitteret. Porro difficilis erat hæc Provincia, Ariolorum & Apostatarum fæce passim infessa; exigebatque hominem expertum æquè ac magnanimum. Quam obrem Franciscus Lupercius Provincialis, cùm è præteritis facinoribus tanto oneri parem Petrum Romerum cognovisset, per litteras eum monet, ut quamprimum caperret Itatinensem provinciam, & trans Paraquarium fluvium produceret imperii Christiani fines. Is ex Assumptionis urbe, in qua Collegium Vicariæ poteestate regebat, abiens, superatis feedissimis paludibus & ericetis, ubi provinciam suam tenuit, adhibitis in consilium Patribus, & Neophytorum primoribus, statim egit, num quid in præsentiarum obstareret, quin ultra Paraquarium fluvium Christianæ leges promulgarentur? Ex quo consilio sic discessum, ut omnes existimatent, rem tot annis & tantis votis expeditam non ultra esse differendam. Quare Romerus, assumptis in socios Justo Vansurkio, diu Itatinensi missioni cum laude præfecto, & Matthæo Fernadio, Societatis candidato, necnon ex utroque Neophytorum nostrorum oppido fidelissimis capitibus, anno millesimo sexcentesimo quadragessimo-quinto se dat in viam, transmissaque per Pataquarium, ferociissimorum hominum, fines Pataquario, duodevigesimo ab discessu die primos Barbarorum pagos ingressus, reperit plerosque Societatis famâ præoccupatos, ab Christiana lege non admodum abhorrente: volebatque abundantioris messis desiderio ultra pergere; sed tum ab Sociis, tum ab incolis absterritus est, affixantibus optima principia corruptum iti, si se præcipitaret.

**O**b id Romerus, ampliori spe dilata in primis pagis hærens, apud Curopaulum, magni nominis Casiquium, sedem fixit: quod cùm convenissent è propinquis locis multi mortales, futuri oppidi aream designat, ædicularum Divæ Barbaræ, à Francisco Lupercio Provinciali in patronam novæ provinciæ designatae, dedicat, erecta que solemnri ritu Cruce, nostra Religionis initia apud frequentes Barbaros explicat. Qui quia ostenderent, superstitione reliqua, Patribus instruendos se velle tradere, omni ope apud Majores suos contendendum putavit, ne tanta rei promovenda auxilia opportua decessent. Quapropter ad Franciscum Lupercium Provinciale litteras dat, postulans, ut quoquot posset Sacerdotes, periculorum contemptores, laborum amatores, gloriæ Divinæ amplificandæ cupidos, animarum Christo lucrandarum avidos, suum in subsidium quamprimum mitteret, non defuturam magnis animis materiali: sperare enim se totam eam regionem, quæ inter Tucumahiam, Peruviam, & Paraquarium, immenso prope intervallo concluditur, devictis ferocissimis nationibus, pulso dænone, Christo posse subjugari. His peractis, comites Neophytes omnes, sex solummodo apud se retentis, ad vetera oppida remittit: Justum Vansurkium abs se cum mandatis amandat, ut ab Laureano Sobrino, Collegii Assumptionis Rectore, ducentis leueis distante, instrumenta ad fundandum oppidum idonea instanter peteret. Interim verò dum subsidia præstolatur, negotium suum apud Superos urgens, continuo precibus orabat, ne Stygiis artibus tantæ spes corrumperentur. Si ab oratione discederet, in id maxime intendebat, ut vicini, remotique populi, ad sequendas Christi partes adjicerent animum.

**F**ORTE sub id tempus, Marlio vel Apigli mense, eò loci aderat cum suo nepote ex remotis locis commercii ergo advena Ethicus, quem Romerus diserte de mysteriis nostris edoctum liberaliterque donatum, multis verbis rogavit, ut Christi partibus populares suos conciliare vellit: si id faceret, summam gratiam apud se initurum. Guiraqueraius (id advenæ nomen erat) roganti in speciem assentiens, summâ dissimulatione, ita ab Romero discessit, ut suos ad

novum

Paraquarium  
faciem Evangelicam in-  
fert.

1645.

Terra trans  
Paraqua-  
rium.

Petrus Ro-  
merus expe-  
ditionis præ-  
ponitur.

Ab Indi be-  
nevolè reci-  
pitur.

CAPUT  
XVI.  
Petrus Ro-  
merus Diu-  
Barbaræ op-  
pidi funda-  
menta jacit.

Subsidios  
poterit.

Vansurkium  
in Paraqua-  
riam aman-  
das.

CAPUT  
XVII.  
Barbari in  
necem Petri  
Romerti &  
Sociorum  
conjurator.  
Guiraque-  
rauius prodi-  
tor.